

Gutte S. 200
Ex. A. T.

..... 0
..... 0
..... 0
..... 00

Mr. Du

Io. Aug. Eberhardus.
ib hcc. ex. contat
4 ypf.

Ocd. 52^a
132

PRIMAE LINEAE
BREUIARII
ANTIQUITATUM
CHRISTIANARUM

IN VSUM
SCHOLARUM SUARUM
DUCTAE
A
SIG. IAC. BAUMGARTEN.



HALAE MAGDEBURGICAE,
IMP. CAROL. HERM. HEMMERDE.
MDCCXXXVII.

PRIMAE INIECTE
BREVIALI
ANTICIPATUM
CHRISTIANARUM

IN ASTRIS
SCHOOLAS SCHARRH



SIEGENSCHWERTIN
CAROL. HERM. HESSE
MDCCCLXXXVII



LECTORI BENEUOLO

SAL. PLUR. DIC.

SIG. IAC. BAUMGARTEN



N on consuetudini magis quam
necessitati dandum esse pu-
taui, vt praefatione breui
et succincta, quae libello
exiguo conueniat, edendi illius ra-
tiones redderem peritisque harum
litterarum arbitris approbatum irem.
Erunt

Erunt enim sine dubio, quibus videbor
 vel opera in illo scribendo collocata su-
 persedere potuisse, vel maiorem in eo-
 dem amplificando testibusque in primis
 rerum memoratarum excitandis nauare
 debuisse. Neutri sententiae refraga-
 bor admodum, si ad alios et lectores et
 usus refertur scriptum, quam quibus a
 me destinatur, illiusque conficiendi ae-
 que ac publicandi occasio consilium-
 que ignoratur, aut nulla eius ratio ha-
 betur. Quae tamen, si intelliguntur
 atque cogitantur, ut par est, facile
 non culpam solum verum etiam da-
 mnum et periculum praestabunt, atque
 vel difficillimo cuique persuadebunt
 officii fuisse non arbitrii, neque animi
 caussa sed subductis rationibus susce-
 ptum perfectumque esse hoc negotium,
 et ipsam denique breuitatem deliberata-
 tam vitio vacare non studio et labore.
 Quae res ita se habet. Ex quo historiam
 christianam docui, sacrorum publicorum
 con-

conditionem singulorumque rituum ori-
gines et vicissitudines, atque omnem le-
gum et consuetudinum sacrarum in ciui-
tatem Christi receptarum ambitum se-
paratim et scorsum enarrare malui, at-
que a reliqua rerum in populo DEI ge-
starum commemoratione ad temporis
ordinem exacta seiungere, quam crebris
digressionibus et repetitionibus narra-
tionem annorumque seriem interrumpe-
re; et de originibus rerum in computum
redigendis frustra laborare, quae neque
vno neque certo tempore sed sensim et
pedetentim coeperunt, inualuerunt et in-
terierunt pleraequo. Ad quod stadi-
um decurrendum haud diu dubitan-
dum deliberandumque fuit, vtrum scri-
ptorem aliquem et quem potissimum
sequi, an ipse comitibus longi itineris
viam breuem et expeditam praeire vel-
lem. Posterius praferendum fuit
omnino, quod libros huc pertinentes
in vniuersum omnes deprehenderam

vel grandiores longe et prolixiores, vel
 in parte tantum huius argumenti am-
 plissimi explicanda occupatos, atque ab
 emetiendo integro illius ambitu nimi-
 um remotos, quam ut huic usui inser-
 uire posse viderentur. Subeundum
 igitur existimauit laborem, quem ad ali-
 as etiam doctrinas scholis meis accom-
 modaueram, ut ex longioribus dispu-
 tationibus, consultis ubique fontibus
 adhibitisque subsidiis reliquis, summa
 harum antiquitatum capita in breues
 paragraphos contraherem calamo exci-
 piendos ab auditoribus, quos liberiore
 sermone illustrarem atque non solum
 explicarem et copiosius proponerem,
 verum etiam testibus singularum nar-
 rationum excitatis confirmarem. In
 quo utilitatis ipsiusque breuitatis labo-
 riosae, quam scholae publicae huic in-
 stitutioni destinatae praepriuatis re-
 quirunt, studiosior fui quam eruditionis
 multaeque lectionis comprobandae; quae

in hoc litterarum genere simulari et
 affectari facilius potest quam dissimu-
 lari prudenter atque e re auditorum
 opportune occultari. Idem hoc studi-
 um officiosum non morandi sed acce-
 lerandi progressus illorum, qui me au-
 diunt, sine praecipitationis periculo,
 temporisque lucrandi effecit, ut post
 quam nonnulla doctrinarum breuiaria
 eadem opportunitate conscripta edidi,
 hoc opusculum librario illud postu-
 lanti non denegarem: in primis quum
 aestatem hanc cumulatis laboribus ob-
 rutus aliud ad manus non haberem,
 quod sine retractatione aut accessionum
 amplificatione typis exscribendum per-
 mitterem, atque hic ipse libellus pere-
 gre desideraretur, si alia re nulla, ex-
 iguitate saltem commendabilis; quae ab
 illis etiam, quibus nimia esse videtur, haud
 difficulter vel excusabitur, vel, si malint,
 condonabitur, vel, quod ego mallem,
 cum scriptis bene longis, magnis et
 eru-

eruditis compensabitur, ab aliis autem
gratiam inibit insigniter, quam praefam-
minis longitudine non perdam, illico fi-
niendi, si hoc vnicum commemoraue-
ro, indicem libri commilitoni industrio
deberi, qui hac sedulitate errorum-
que typographicorum emendatione de
me lectoribusque bene mereri sategit.
ded. Halae ad Salam in Acad.

Frideric. d. xxvii Sept.

clobccxxxxvi.



PRO-



PROLEGOMENA.



§. I.

Antiquitatis christianaæ sunt finitio & constitutiones rei sacrae, ambitus quae olim in ciuitate ^{antiquit} christi obtinuerunt ad suas singulæ origines relatae. Ambitus illarum vel latius patet vel arctius restringitur, pro diuersa temporis vetustioris & sequioris seu medii ratione habita. Disquisitio earundem requirit tam constitutionum harum completam & fide dignam collectionem, quam temporum & occasio- num, quibus cooperunt, inuestigationem.

A

§. II.

PROLEGOMENA.

§. II.

utilitas.

Vtilitas huius studii *tam communis* est ad antiquos scriptores intelligendos, superstitionem & profanam mentem fugiendam, atque prudentiam in diiudicandis rebus ecclesiasticis augendam pertinens: *quam peculiaris, referenda primum ad theologiam, tum dogmaticam in confirmandis illustrandisque nonnullis doctrinis, tum polemicanam* in controuersiis bene multis felicius tractandis, *tum exegeticam* in reetius interpretandis quibusdam oraculis difficultioribus, *tum pastoralem & casuisticam* in vsu ceremoniarum prouehendo, abusu contra vitando, variisque offenditionibus tutius prætereundis; *doinde ad jurisprudentiam, tam ciuilem & publicam, quam in primis ecclesiasticam & canonicam & recentiorem.*

§. III.

subsidia.

Subsidia huic studio profutura sunt primo compendium antiquitatum ecclesiasticarum ex scriptoribus apologeticis eorumque commentatoribus compositum atque cum CONR. SAM. SCHURZFLEISCHII quaectionibus insignioribus antiquitatum ecclesiasticarum editum a ven. JO. GE. WALCHIO; JOACH. HILDEBRAN-

PROLEGOMENA.

3

BRANDI antiquitates sacrae; JO. ANDR. SCHMIDII lexicon ecclesiasticum minus; JOS. ARNDII lexicon antiquitatum ecclesiastiarum; JO. ANDR. QUENSTEDII & BALTH. BEBELII antiquitates; CASP. CALVOERI rituale ecclesiasticum una cum GOTTER. ARNOLDI wahren Abbildung der ersten Christen: deinde JOSEPHI BINGHAM origines seu antiquitates ecclesiasticae a cl. JO. HENR. GRISCHOVIO latine redditae; JO. CASP. SVICERI thesaurus ecclesiasticus; JO. HORNBECKIE miscellanea sacra; GISBERTI VOETIE politia sacra & dissertationes; MARC. ANT. DE DOMINIS de republica ecclesiastica atque WILL. CAVEI primus Christianismus: præterea EDMUNDI MARTENE de antiquis ecclesiae ritibus editionis CCCCCXXXVI; LUD. THOMASSINI vetus & noua ecclesiae disciplina; LUD. ELL. DV PIN de disciplina ecclesiae veteris; JO. STEPH. DURANTI de ritibus ecclesiae catholicae; BARTH. GAVANTI thesaurus sacrorum rituum; vna cum hierolexico DOMINICI & CAR. MACRORUM; CAR. DV FRENNE DV CANGE glossario graecitatis mediae, & gloss. latinitatis med. & infimae editionis CCCCCXXXIII; atque CLAUD. FLEURY moeurs des premiers

A 2 chre-

PROLEGOMENA.

chretiens: porro plerique ampliores historiae ecclesiasticae scriptores: & ipsi denique fontes, quorsum pertinent patres & scriptores ecclesiastici, concilia, collectiones canonum una cum iure canonico & pontificio atque bullario romano, nec non acta sanctorum, martyrologia & libri liturgici utriusque ecclesiae orientalis & occidentalis: de quibus pluribusque copiosius agitur in JO. ALB. FABRICII *bibliographia antiquaria* atque der Buecherkentnis §. LXXXIII - LXXXVIII.

§. III.

partitio. Dupli potissimum ratione antiquitates christiana pertractari possunt, *una*, ut temporis ratio habeatur, quo singulæ coeperunt & immutatae fuerunt & cessarunt; *altera*, ut in classes & ordines relatae systematis instar copulentur: quam posteriorem methodum ut breviorem & foecundiorrem hic observabimus, acturi I) de hominibus sacris; II) de temporibus sacris; III) de locis & vasis sacris; IIII) de actionibus sacris; V) de disciplina sacra; & VI) denique de libris, vestibus rebusque reliquis sacris.

CA.

CAPUT I.

DE

HOMINIBUS SACRIS

§. V.

Cives CHRISTI a tempore apostoli christianis
lorum christiani vocati sunt ACT.
XI, com. XXXVI, quod CHRISTUM
doctorem dominumque sectabantur;
a profanis gentibus verae originis il-
lius nominis ignaris *christiani*, nec
non *Iudei & Nazareni*; rarius etiam
insigniti fuerunt *catholici*, *ecclesiastici*,
nec non symbolice *pisces* & *pisciculi*,
a voce technica *ixos*, ex litteris ini-
tialibus graecis vorum *Iesus Christus*
Dei filius servator conflata. Contume-
liose adversarii eos nonnunquam no-
minarunt *Galilaeos*, *atheos*, *graecos*, im-
postores, magos, parabolarios, de-
speratos, biothanatos, fermentitos
& semaxarios, asinarios, caelicolas,
heliolatras, crucicolas, novam & pe-
regrinam superstitionem, lucifugam
nationem atque *plautinam* prosapiam.

§. VI.

A primis ciuitatis christiana*e* init*i*s *genera il-*
populus CHRISTI in duas diuideba-
lorum.

A 3

tur

6 CAPUT I.

tur classes: *vnam* docentium, quae *cler-
rus & ordo* vocabatur, ei autem adscripti, *clericis, ecclesiastici,* nonnunquam etiam *canonici;* alteram dissentium, quae *plebs & populus,* ejus autem membra *laici, saeculares, idiotae* seu privati nominabantur; atque haec posterior iterum duplēcēm ordinem complectebatur, *vnum* jus ciuitatis adeptorum, *fidelium, illuminatorum & initia-
torum,* alterum illud expertentium, quo tam catechumeni, quam poenitentes pertinebant, nec non energumeni; a quibus omnibus distinguebantur, licet ex omnibus desumerentur, *tum martyres & confessores, tum eremitae & monachi.* Extra ciuitatem constituti vel infideles erant, vel haereticī una cum schismaticis.

§. VII.

*conspectus
clericorum.
ruim.*

*Johannes de
numeris ecclie
siaisticā etate
apostoli Ios. n.
20.*

Qui ad primam classem hominum ecclesiasticorum, temporum decursu sensim admodum auctam, referri debent varii generis sunt. Nonnulli extraordinarii fuerunt: reliqui ordinarii clerici vel ad singulas ecclesias pertinuerunt, atque tam superiorum ordinum fuerunt & episcopi cum chorepiscopis ac periodeutis, & presbyteri, & diaconi vna cum archidiaconis atque dia-

DE HOMINIBUS SACRIS. 7

diaconiss; quam inferiorum ordinum
& hypodiaconi, & acoluthi, & exorcistae,
& lectores, & ostiarii vna cum
psalmistis, copiatis & parabolaniis; vel ad
communionem ecclesiarum & hierarchiam,
quorum referuntur metropolitani seu primates cum archiepiscopis, pa-
triarchae, & tandem recentius Pontifex cum Cardinalibus. Qui ad reli-
qua officia sacra constituebantur vel ex
aliis ordinibus erant, ut catechistae,
mansionarii, oeconomi, sceuophylaces, her-
meneutae, notarii, & apocrisiarii, vel laici
vt defensores & advocati ecclesiarum.

§. VIII.

Extraordinarii doctores diuinitus vo-
doctores
cati donisque miraculosis instructi colli extraordi-
genda constituendaque ciuitati chri-
stianae inservierunt, atque in tres ordi-
nes commode dividuntur: apostolorum,
prophetarum & euangelistarum EPH. IV.
com. XI. licet singulae hae voces latiore
subinde strictioreque significatu su-
mantur. Apostoli ab ipso CHRISTO
constituti & infallibili inspiratione
praediti gaudebant potestate leges sa-
cras ferendi, earumque violationem
puniendi, seu iurisdictione in vniuer-
sam ecclesiam. Prophetae diuinitus acti
vel oracula DEI interpretabantur, vel
A 4 ipfi

CAPUT I.

ipſi res futuras praedicebant. *Euan-*
gelistae vel a CHRISTO, vel ab apostolis,
vel ecclesiis jam constitutis DEI jussu
ordinati plantandis constituendisque
nouis ecclesiis, prædicatione evan-
gelii, operam dabant. Atque hi omnes
ſaeculo ſecundo ſenſim deſierunt; li-
cet latiori ſenſu conditores nouarum
eccleſiarum posterioribus etiam tem-
poribus ſic fuerint vocati.

§. VIII.

origo ordi-
num fa-
crorum ex
Iudeis.

Cum primi omnium *christiani Iu-*
daeis fuerunt atque in mediis *Iudeis* ci-
uitatem ſuam conſiderunt, veriſimil-
limum eſt eosdem in ſacris ſuis ordi-
nandis ad formam conſtitutionis *ju-*
daiae quam fieri potuit proxime acceſ-
ſiffe, aut ab illa potius non longe re-
ceſſiffe: quod ſingulari etiam cultus
indaii & christiani conuenientia, quae
major eſt cum synagoga, quam tem-
plo ejusque ritibus, comprobatur;
quare primi doctores *christiani* ordina-
rii & episcopi & presbyteri & dia-
coni cum reliquis ministris rectius a
Iudeorum & praefectis angelisque ec-
clesiae, & senioribus & chaffanim ſeu
ministris deriuantur, quam, quod non-
nulli maluerunt, ab illorum pontifice,
facerdotibus & leuitis.

§. X.

DE HOMINIBUS SACRIS. 9

§. X.

Episcoporum nomen primo apostolo- *episcopo-*
rum tempore presbyteris commune *rum deno-*
fuit; ab exeunte tamen saeculo primo *minatio.*
illis solis tribuebatur, qui post extra-
ordinarios doctores reliquis presby-
teris praesidebant, & supremam totius
coetus sacri curam gerebant: atque hi
praepositi etiam seu *praesides ecclesiae,*
antisitites & *inspectores* vocabantur, ra-
rius autem *apostoli* & *angeli* ecclesiae;
honorificentius deinde *summi sacerdo-*
tes, pontifices maximi, papae, patres pa-
trum, patriarchae, vicarii CHRISTI &
principes, adpositis splendidis beatifi-
simorum sanctissimorumque denomi-
nationibus.

§. XI.

Ad *episcopos* omnis sacrorum publi- *corundem*
corum cura, atque totius ecclesiae, cui *officium,*
praerant, moderamen pertinebat. Il-
lorum igitur erat, *primum* docere po-
pulum doctrinas sanctiores & sacra pu-
blica facere; quas tamen partes aliis
etiam ex clero tradere poterant: *de-*
inde ordines sacros conferre: *praeterea*
externum cultum diuinum constitue-
re; disciplinae ecclesiasticae praeesse;
redituum rationes moderari; commu-
nionem aliarum ecclesiarum curare; &

litteras publicas dare: ad quae sensim tandem accessit iurisdictio quaedam ab imperatoribus *christianis* intempestive aucta; & in occidentali ecclesia *denique* confirmatio neophytorum & catechumenorum ipsis solis vindicata.

§. XII.

chorepi- *Chorepiscopi* ab inspectione regionis
scopi & pe- extra urbem ipsis concredita sic vo-
riodeutae. cati, nonnullis presbyteri tantum
 fuisse videntur ad sacra publica in vil-
 lis facienda constituti; ab aliis vero
 rectius pro episcopis habentur episco-
 po urbis seu dioecesos tamen subor-
 dinatis, qui plerasque illius partes su-
 stinebant extra urbem, clericos etiam
 inferiores ordinabant, litteras publi-
 cas dabant, & conciliis intererant, iis-
 que suo nomine subscribebant. Ne-
 que tamen ubique obtinuerunt, neque
 etiam semper & ubiuis eadem ipso-
 rum potestas fuit, *tam* per episcopo-
 rum, a quibus dependebant, volun-
 tam, *quam* per concilia varie cir-
 cumscripta & imminuta: in primis
 postquam saeculo quarro *periodeutae* seu
presbyteri visitatores in multis ecclesiae
 orientalis locis constituebantur, qui
 illustratione coetuum ruralium facta eor-
 ruir.

DE HOMINIBUS SACRIS. II

rundem rationes ad episcopum refe-
rebant; ex quo tempore chorepiscopi
sensim interierunt, licet nomen ipso-
rum alicubi superstes manserit ex de-
cretalium sententia in occidentali ec-
clesia ad presbyteros relatorum.

§. XIII.

Presbyterorum nomen primo saeculo ^{presbyteri} latius patuit, ut ecclesiarum modera-
tores quosuis denotaret: postea aequo
ac recentius *sacerdotum* nomen illis do-
ctoribus proprium factum est qui cum
episcopo coetum sacrum moderaban-
tur, atque tam in sacris publicis faci-
endis ipsi opem ferebant, & plerasque
illius partes iussi obibant, quam in
disciplina sanctiore administranda ei-
dem ex concilii sacri sententia acturo
aderant, & suffragia ferebant: atque
horum auctoritas primis saeculis longe
maior fuit, quibus non solum sedes in
ecclesiis & conciliis, verum etiam in
synodis suffragia ipsis concedebantur,
nihilque alicujus momenti inconsultis
presbyteris decernebatur; quam a sae-
culo quarto, quo admodum immuni-
coepit, donec nihil ipsis remansit pae-
ter sacramentorum administrationem.
Qui in maioribus ecclesiis constitue-
bantur *archipresbyteri* reliquis presby-
teris.

teris praesidebant, atque in disciplina
sacra una cum illis exercenda episcopi
vices gerebant.

§, XIII.

diaconi.

Qui *diaconorum* nomine strictius
sumto insigniebantur clericci, *ministri*
etiam & levitae nonnunquam vocati, a
septem diaconis *hierosolymitanis* pau-
perum curandorum caussa institutis
ortum traxerunt: ad plura tamen ser-
vitia in sacris publicis adhibebantur,
ut *primum* vasa sacra curarent; *deinde*
dona populi reciperent, & sacerdoti
cum nominibus offerentium recitatis
afferrent; *praeterea* consecrata elemen-
ta *eucharistiae* populo porrigerent, &
ad absentes perferrent; *neque minus* in
conuentibus publicis formulas solen-
nes exclamarent, ordinisque debiti
curam gererent; episcopis *tandem* &
presbyteris adparerent, quoties pu-
blice agebant, ipsisque in eleemosynis
distribuendis adessent, atque de vita
fidelium ad eosdem referrent. Pote-
rant etiam potestate ab episcopo facta
sermones sacros habere, eiusque par-
tes in conciliis sustinere atque in ca-
ribus necessitatis baptisma admini-
strare.

§.XV.

DE HOMINIBUS SACRIS. 13

§. XV.

*Archidiaconi primis saeculis ex dia- archidia-
conis sumebantur, thesauro ecclesiae coni.
custodiebant & dispensabant, episco-
po sacris publicis operanti proxime
aderant, diaconorum & clericorum
inferiorum omnium ministeria dirige-
bant, & potestate pollebant eosdem
redarguendi & inferiores ordines con-
ferendi: ad quae sensim accessit iuris-
dictio in dioecesin, in primis extra
vrbem, immo etiam in vniuersum cle-
rum atque populum; vt ab episcopo
proxime abescent eiusque partes obi-
rent, unde ipsi presbyteri hunc ho-
norem ambierunt, in primis ex quo
plerique eo ornati ad episcopatum pro-
ueherentur.*

§. XVI.

*Diaca*nissarum* nomen nonnunquam diaconis libro
uxores diaconorum sequioribus tem- nissae, in isto
poribus denotat, plerumque tamen &
antiquitus semper publicas ecclesiae mi-
nistras significat; quae viduae etiam
vocabantur, quod plerumque matri-
monio defunctae eligebantur. Atque
illarum origo ad apostolorum tempo-
ra referri debet R. M. X VI. com. 1.
I T I M. V. com. III-X; ordinatio per
manum impositionem fiebat; offi-
cium*

14 CAPUT I.

cium vero in eo consistebat vt I) feminas in ecclesiam recipiendas instruerent, & earundem baptismo decore administrando adessent; II) vt feminas *christianas* inuiserent, de illis ad doctores, eorumque mandata ad easdem deferrent, aut illas ad hos deducerent; III) vt martyrum, confessorum, hospitum & aegrotorum, in primis sequioris sexus, curam gererent; & IIII) denique ut bonum ordinem a feminis in concione publica obseruandum curarent. De aetate aliisque earum requisitis varie per concilia constituebatur: donec sensim, atque in ecclesia occidentali eiusque locis plerisque citius, & tandem in orientali ecclesia penitus abrogabantur.

§. XVII.

ordines inferiores. *Inferiorum ordinum origo a tertio de-*
mum saeculo repetenda est, quo in
maioribus ecclesiis plura ministeria le-
uiora obeunda fuerunt, quam ut illis
sufficerent Diaconi, in primis si ultra
septenarium numerum non eligeban-
tur; seminario etiam ad clerum rite
praeparandum opus fuit. Neque ra-
men uno tempore omnes vbiique in-
troducebantur, neque numerus ordi-
nūm idem vbius erat: qui sensim in
ecclē-

ecclesia occidentali quinarius consti-
tuebatur, ut eo pertinerent *subdiaconi*, *acoluthi*, *exorcistae*, *lectores*, & *os-
tiarii*; ex quibus tandem subdiaconi
ad ordines superiores relati fuerunt,
& reliquorum nomina duntaxat con-
servata, officiis penitus sublatis. O-
mnes vero hi ministri inferiores or-
dinatione carebant; licet ad clerum
referrentur, neque ipsis ad saecularem
vitam redire liceret.

§. XVIII.

Subdiaconi in occidentali ecclesia sae- *subdiacon-*
culo tertio, in orientali saeculo quarto, ni,
constituti fuisse deprehenduntur, ad
leuiora diaconorum ministeria obeun-
da, litteras in primis publicas alior-
sum perferendas, ad vasa sacra praeparanda & diaconis tradenda, atque
ad januas in concione custodiendas:
nunquam tamen primis temporibus
ad altare accedere neque formulas so-
lennes recitare ipsis integrum erat. In
ecclesia romana septem duntaxat fue-
runt totidem diaconis adiuncti; ubi
tamen aequa ac diaconi sequioribus
temporibus triplicis generis fuerunt,
palatini, qui episcopo ad sacra facien-
da aderant, *stationarii*, qui in statio-
nibus peragendis ministrabant, & re-
gion-

gionarii, qui in reliquis urbis regionibus officia obibant: in aliis vero ecclesiis plures numerabantur.

§. XVIII.

acoluthi.

Acoluthi in ecclesia occidentali tantum obtinuerunt a saeculo tertio, in orientali ecclesia nunquam commemorantur ab hypodiaconis distincti. Officiorum ipsorum erat, cereo accenso diaconum sequi, luminaria in conuentibus accendere, vinum ad sacram coenam ministris adferre, vasorum etiam sacra nonnunquam gestare.

§. XX.

exorcistae.

Exorcandi potestate primis temporibus plerique *christiani* pollebant; licet a solis doctoribus publice exerceretur per tria saecula prima: tertio tamen saeculo peculiaris *exorcistarum* ordo introducebatur ad exorcismos seu formulas solennes, quibus maligni spiritus cedere iubebantur, publice recitandas; quod tamen nunquam nisi episcopo aut chorepiscopo volente fieri poterat, atque ad energumenorum curam agendum. Catechumenorum vero cura ad ipsos, nisi catechistae simul fuerint, olim pertinuisse nequa-

DE HOMINIBUS SACRIS. 17

quaquam videtur: quamquam postea in
graeca maxime ecclesia ad illorum in-
stitutionem adhibebantur.

§. XXI.

Saeculis tribus, duobus saltem, pri-
mis oraculorum diuinorum lectio pu-
blica a clericis superioribus, et diaconis
plerumque, fiebat; immo etiam
laicis nonnunquam et ipsis alicubi ca-
techumenis; quod post peculiarem
lectorum ordinem institutum in non-
nullis ecclesiis aliquamdiu obtinuit.
Origo illius ad saeculum tertium refe-
renda est. Officii vero ipsorum erat,
vt in conuentibus sacris ad pulpitum
starent, et ab episcopo iussi sacras literas
praelegerent, primis etiam tem-
poribus codices sacros asseruarent:
qua cura deinde supersederunt; unde
adolescentes subinde et pueri huic or-
dini aggregabantur, quo melius ad
altiores gradus cleri præparentur.

§. XXII.

Ostiarii seu Ianitores saeculo defmum *ostiarii*.
tertio in ecclesia *romana* instituti fue-
runt, sensim dunataxat alibi introdueti;
in ecclesia *graeca* tamen a saeculo sexto
desierunt. Officii ipsorum fuisse vi-
detur, vt aperirent et clauderent ia-

B nuas

nuas templorum, easque sub sacris cu-
stodirent; conuentus etiam publicos
indicerent in primis extraordinarios.

XXIII.

cantores,
follares et
parabo-
lani.

Reliqui tres inferiores ordines *psal-*
mistarum, copiatarum et parabolanorum,
hodie in numerum ordinum cleri non
referuntur, licet olim eo indubie per-
tinuerint non tamen ubique introdu-
eti. *Psaltae seu cantores* saeculo quar-
to instituti fuisse videntur ad cantum
publicum moderandum coetuique sa-
cro praecinendum. *Copiatae seu fos-*
tarri et follares ab eodem saeculo quar-
to in plerisque ecclesiis, in primis ori-
entalibus ad defunctorum exuias se-
peliendas constituebantur. *Parabolani*
vero in maioribus quibusdam ecclesiis
deligebantur ad aegrotorum, in primis
periculosiorum, curam gerendam, ne que
tamen in multis locis introducebantur
neque diu durarunt.

metropoli-
tani.

Ad coniunctionem plurium ecclae-
siarum mutuam conseruandam episco-
pi prouinciarum pro ciuili diuisione
distinctarum inter se communicabant
et pleraque negotia grauiora commu-
niter peragebant; quorum gerendo-
rum

§. XXIV.

DE HOMINIBUS SACRIS. 19

rum cura sensim ad unum aliquem praesidem deuoluebatur eumque metropoleos episcopum, ut huic muneri accommodatissimum; exceptis Africæ nonnullis episcopis, vbi in illo honore conferendo antiquioris ordinationis ratio habebatur. Atque illi metropolitani, primates, exarchae prouinciarum et primæ sedis episcopi vocabantur, quorum a saeculo secundo, ineunte saltem tertio, erat synodos convocare et dirigere, episcopos ordinare et grauiores caussas cognoscere adhibitis tamen simul aliis episcopis.

V. Coll. p. 403

§. XXV.

Ob quarundam et ciuitatum di. patriarchae. gnitatem ciuilem, et ecclesiarum tam antiquitatem quam magnitudinem, atque ad maiorem plurium prouinciarum coniunctionem plures metropolitani cum episcopo principis ciuitatis proxime communicarunt, eique a saeculo quarto subfuerunt, qui archiepiscopus primus, deinde patriarcha dicebatur, voce a Iudeorum supremo antistite desumpta: ex quibus patriarchis a saeculo quarto quatuor primi, Romanus, Alexandrinus, Antiochenus et Constantinopolitanus; adiecto deinde quinto Hierosolymitano: praे reliquis

eminere iisque praeesse coeperunt; ex quo tempore nomen *archiepiscoporum* ad metropolitanos transiit, primatum nomine iis, qui antea patriarchae fuerant, plerumque tributo. Manserunt tamen satis diu metropolitani nonnulli, immo etiam episcopi αὐτοκέφαλοι seu nulli patriarchae subiecti.

§. XXVI.

pontifex.

Postquam episcopi *romani* ob ciuem et ecclesiasticam sedis suae dignitatem non solum ad metropolitani et patriarchae honorem euecti fuerunt, verum etiam primum inter episcopos locum saeculo quarto obtainuerunt; sensim in iura reliquorum episcoporum et summorum imperantium inuolarunt, atque sibi et absolutum in ecclesiam occidentalem dominium sacrum, et iurisdictionem in ecclesiam vniuersam nunquam tamen vbiuis agnitam, vindicatum iuerunt: quos ambitiosos conatus et imminuta imperatorum *romanorum* potestas, et ciuiles in occidente turbae regnorumque vicissitudines, et haeresium schismatumque multitudo, et ingruens barbaries, et amplificati ipsorum opera ciuitatis *christianae* limites, et reliquorum patriarcharum *constantinopolitani* in primis aemu-

aemulatio mirifice promouerunt. Quibus rebus effectum est, ut in occidente insignis primae constitutionis ecclesiasticae immutatio fieret, legislatoria et iudicialis potestas ad pontifices devolueretur, nouum ius sacrum ecclesiis imperiisque obtruderetur, episcoporum et synodorum iurisdictio ipsis subiiceretur, appellationibus, dispensationibus, exemptionibus legatorumque potestate introductis, atque a saeculo nono potissimum omnia ab ipsorum arbitrio pendere viderentur.

§. XXVII.

Licet plures olim presbyteri et diaconi in singulis templis sacra facere solerent: unus tamen perpetuam illorum curam gerebat, qui nomen inde seu titulum habebat, atque *cardinalis* vocabatur; unde etiam illi, qui eiusmodi locum obtinebant, in primis aliunde accersiti, incardinari dicebantur. Atque hi *cardinales* in ecclesia *romana*, cuius synodus peculiarem constituebant et episcopum eligebant, sensim eminere et hoc nomen sibi solis vindicare coeperunt: in primis postquam aucta pontificis iurisdictione legationes cum auctoritate obibant et episcopi inter ipsos recipiebantur. Ex quo

B 3 tem-

tempore tres eorum ordines fuerunt, presbyteri episcopi et diaconi, qui omnes episcopis in vniuersum omnibus ipsisque archiepiscopis et primatibus praecellebant, et a pontifice proxime ab erant, cum quo senatum ecclesiae universae efficere putabantur.

§. XXVIII.

*catechis-
tac.*

Qui catechumenos disciplinam sanctiorem docebant *catechistae* vocabantur, atque ex omnibus ordinibus clericorum sumebantur, ipsi vero pecuniam ordinem non constituebant. Alicubi etiam, *Alexandriae* in primis, doctores publici sic dicebantur, qui scholas aperiebant ad doctrinam sanctiorem *christianis* ipsisque clericis curatius explicandam; quales etiam postea *Constantinopoli* et alibi fuerunt: a quibus non admodum differebant *trahitatores*, qui publice ad erudiendam plebem verba facere solebant.

§. XXIX.

*reliqua in-
frequen-
tiora cleri-
corum ge-
nera.*

Reliqui clericis extraordinarii neque vbiuis neque semper iidem obtinuerunt: quorum pertinent I) *mansionarii*, qui alicubi ostiarii fuerunt, alibi administratores fundorum ecclesiasticorum; II) *custodes* tam ecclesiarum seu aeditui, quam locorum sacrorum;

rum; III) *oeconomi* saeculo^o quarto instituti ad bona ecclesiae curanda et in rationes referenda; IIII) *cimeliarchae*, *sacristani* et *thesaurarii*, qui custodes vasorum sacrorum et thesauri ecclesiae erant; atque si archiui seu litterarum publicarum curam gerebant *chartophylaces* dicebantur; V) *hermeneutae*, qui sacras litteras vernacula lingua publice reddebant; VI) *notarii*, qui sermones et colloquia notis celeriter excipiebant, ad martyrum acta consignanda primum instituti; VII) *apocrifarii*, qui ab episcopis et ecclesiis ad au-
lam imperatorum ablegabantur caussas ibi acturi; VIII) *syncelli* ad communem conuictum episcoporum constituti; VIII) *colliberti* seu ministri clericorum; X) *chartularii*, qui primo a notariis parum differebant, sensim vero ad negotia publica adhibebantur, quibus praeerant *cancellarii*; et XI) denique *cappellani* a cappa *reliquiarium* circumferenda sic dicti, qui sacris domesticis in familiis regum et procerum operabantur.

§. XXX.

Qui ad caussas ecclesiarum apud magistratum agendas constituebantur, defensores ecclesia-
quales etiam alicubi pauperibus da- rum.

B 4 ban-

bantur, *defensores*, *ecclisi et aduocati*, clerici primum fuerunt; a saeculo sexto autem laici esse potuerunt, qui tamen ipsi inter clericos recipi solebant: atque illis sensim quaedam potestas in ipsis clericos tribuebatur eos visitandi deferendique apud episcopum, et ipsius nomine caussas leuiores dirimendi. Vnde sequioribus saeculis alii defensorum et aduocatorum ecclesiarum genus enatum est, *vel* principum et regum, *vel* supremorum imperii administratorum, qui securitates ecclesiarum armis et patrocinio vindicabant: quam ob rem non solum quaedam in ecclesiis iurisdictio, sed possessionum etiam usura ipsis concedebatur, quod tamen abusibus admundum obnoxium fuit.

§. XXXI.

*electio
clericorum.*

Clerici primis temporibus ab extraordinariis doctoribus constituebantur. Deinde *episcoporum* electio fiebat *vel* extra ordinem per sortem et antecessoris, celebrioris etiam antistitis et synodi, denominationem: *vel* ordinarie per suffragia cleri et populi, ope interuentoris in ecclesia occidentali. Sensim tamen populus excludi coepit ab ipsa optione facienda: cum *vel* im-

peran-

perantes illam sibi vindicarent, primum in sedibus suis, deinde alibi etiam tam ad seditiones euitandas, quam ob beneficia in ecclesiis collata, *vel* collegiis clericorum cathedralium tribueretur. *Presbyterorum* aeque ac *diaconorum* et inferioris cleri electio ab episcopis pendebat, concurrente populo et reliquo clero non solum ad testimonium electo perhibendum, verum etiam ad optionem in primis presbyterorum, quod tamen sensim obsoleuit. Inferiori clero sponte plerique se addicebant, *vel* a parentibus mature consecrabantur. Ad superiorem clerum in primis episcopatum electi diu nonnunquam renitebantur et coacte ordinabantur, quod canonibus tamen abrogatum est. Fundatores ecclesiarum et donatores reddituum satis mature denominacionem obtinuerunt clericorum in illis sacra factrorum, vnde ius patronatus enatum est.

§. XXXII.

Consuetudine stabilitum et canonibus cautum erat, I) ut nemo ad alios dignitates eueheretur, nisi per gradus inferiores; II) ut de fide suspecti non essent, ad superiorem clerum & episcopatum in primis electi;

B 5 III)

conditio
clericorum legi-
bus requie-
sita,

III) ne quis extra ecclesiam suam eligeretur, neque ex vna in aliam transferretur; IIII) ne quis eligeretur catechumenus, qui poenitentiam publicam eggerat, profligatae vitae post baptismum aut energumenus aut comoedus fuerat, aut se mutilauerat, clinicus, ab haereticis baptizatus, bigamus, miles, curialis, seruus aut simoniacus; V) ut aetatis ratio haberetur in clero superiore, neque episcopus aut presbyter infra trigesimum, diaconus vero infra vigesimum quintum annum constitueretur; VI) ut rigorose examinaretur electus, omniumque accusationes contra eum audirentur; VII) ne quis episcopus extra suam ecclesiam aut prouinciam, neque nisi per tres episcopos ordinaretur; VIII) ne in vicis et oppidis exiguis, neque plures eiusdem sedis episcopi simul ordinarentur; VIII) ne quis clerus vague ordinaretur; et X) denique, ne quis plures ecclesias possideret, aut ad plures simul pertineret. Erat tamen in necessitatibus & casibus extraordinariis exceptionibus locus cognoscente synodo: quae sensim frequentiores siebant, ex quo episcopi *romani* ius dispensandi a canonibus sibi arrogarunt; vbi *postulari* poterant eiusmodi clerici, atque plures ecclesiae
alii-

DE HOMINIBUS SACRIS. 27

aliaque beneficia conseruationi primum
et possessioni deinde vnius *commendari*,
vnde *commendae* ortum traxerunt.

§. XXXIII.

Legibus praeterea sancitum erat ut officia ^{ea} clerici I) integritati morum et vitae ^{rundem} sanctitati studerent, sibique cauerent non solum a delictis remotione puniendis, quorsum ebrietas, alea et foeneratio pertinebant; verum etiam a suspicione vitiorum facienda: II) litterarum sacrarum studiis vacarent, atque a profanis et haereticis libris abhorrerent non sine necessitate legendis: III) officii partes non negligenter, sed sancte obirent: IIII) conuersationem caute instituerent, atque a scurrilitate et leuitate abstinerent: V) stationem non relinquerent aut extra dioecesin vagarentur sine necessitate: et VI) denique saecularibus negotiis non immiscerentur. Nullis vero legibus ad bonorum abdicationem aut coelibatum adstringebantur: qui tamen sensim introductus est, cum plerique sub calamitatibus publicis a matrimonio ineundo, aut, si illud inierant, a vxorum consuetudine sponte abstinerent, secundae autem nuptiae omnes illegitimae haberentur; quod postea in necessitatem transiit, cui et quidam

cano-

canones obuiam iuerunt et consuetudo,
tam orientalis ecclesiae perpetua,
quam quarundam regionum in occi-
dente satis diu continuata vehementer
restitit.

§. XXXIII.

immunitate **es illo-** **rum.** Immunitates clericorum, quas ab imperatoribus christianis mature obtinuerunt, erant I) ut episcopi in iudicium non arcesserentur ad dicendum testimonium: II) ut clerici omnes non solum in caussis ecclesiasticis a iudicii saecularis cognitione exenti essent; verum etiam in leuioribus caussis criminalibus, grauiora enim delicta excipiebantur, atque in caussis pecuniariis cum laico: et III) ut a censu, non possessionum, sed capitum, et reliquis tributis atque oneribus publicis et personalibus liberi essent.

§. XXXV.

reditus. Sustentatio clericorum sumebatur primum ex oblationibus christianorum tam quotidianis et hebdomadariis quam menstruis; deinde ex reditibus possessionum ex donationibus ecclesiis propriarum; quorsum accesserunt postea nonnulli reditus extraordinarii ex aerario Imperatorum subinde sumti, bona

DE HOMINIBUS SACRIS. 29

bona martyrum, confessorum et clericorum, qui sine heredibus obierant aut illegitime statione deceperant, tempa denique Deorum cum possessionibus; tandem etiam ex decimis et primitiis fructuum a saeculo quarto et quinto introductis: nemini tamen pro officii obeundi partibus quidquam sumere licebat. Atque hi redditus omnes in certas partes diuidebantur, plerumque tres: quarum *una* episcopo tribuebarur ad hospitalitatem exercendam, *altera* clericis reliquis, *tertia* pars ecclesiae ad aedificia et luminaria, pauperes etiam subleuandos; quibus allicubi peculiaris portio destinabatur, sicut alibi etiam redditus in communi administrabantur. Nunquam tamen bona ecclesiae sine necessitate a synodo diiudicanda alienari potuerunt.

§. XXXVI.

Qui ad alteram partem ciuitatis *christiana* fideles pertinebant, fideles et interesse laici poterant omnibus sacris publicis, *tum* eucharistiae *tum* precibus communibus *tum* denique sermonibus de mysteriis, et oratione dominica vti, et suffragia dicere in conuentibus ad eligendos clericos atque grauiores causas ecclesiasticas habitis. Alicubi, in

Africa

Africa maxime, seniores ex populo constituebantur, qui vna cum clericis disciplinae ecclesiasticae rerumque sacrum curam gerebant.

XXXVII.

pauperes, Peculiari ratione ex fidelibus ad ec-
virgines et clēsiā pertinebant atque clericorum
viduae. curae suberant, *tam* pauperes ex redi-
 tibus ecclesiae subleuandi vel alendi,
quam virgines et viduae ecclesiasticae
 virginitatem et continentiam profes-
 ſae, publico rītu consecratae, vesti-
 bus et separato in conuentibus sacris
 loco distinētae, canoni etiam seu matri-
 culae ecclesiarum inscriptae, atque im-
 munitatum quarundam ecclesiastica-
 rum participes. Quae a saeculo se-
 cundo iam locum habuerunt, atque a
 saeculo quarto censuram incurrire
 coeperunt, si nuberent, licet ipsum
 matrimonium non pro irrito habere-
 tur, per incrementa monasticae vitae
 autem tandem desierunt.

§. XXXVIII.

Catechumeni.

Catechumeni, qui nouitioli etiam et
 tirones nonnunquam vocabantur, so-
 lebant per manuum impositionem re-
 cipi, seu *christiani* fieri atque pro di-
 uersa animi conditione explorata per
 bre-

DE HOMINIBUS SACRIS. 31

breuius vel longius tempus ad baptisma praeparari et doctrinam christianam edoceri. Diuidebantur autem in tres classes: *vna erat audientum*, qui lectionibus et sermonibus sacris intererant a precibus exclusi; *altera genuflectentium*, qui ad preces nonnullas admittebantur in terram prouoluti et cum manuum impositione dimissi; *tertia competentium seu electorum*, qui curatius instituebantur et viginti proximos dies ante baptisma symbolum et orationem dominicam docebantur, multis etiam exorcismis aliisque alicubi ceremoniis praeparabantur. Si quid deliquerant, ex superiori ad inferiorem classem reiiciebantur et diutius baptismo carebant, aut extra ecclesiam propellebantur, spe tamen baptismi nunquam penitus denegata. Qui *vel* martyrio baptismo intercepabantur, *vel* sine neglectu eiusdem obierant nondum baptizati, de illorum salute nunquam dubitabatur.

§. XXXVIII.

Energumeni ab exorcistis institutio-
ne, precibus et manuum impositione priuatim curandi, in conuentibus fa-
bris non solum lectionibus et sermoni-
bus sacris, verum etiam precibus vna
cum

energume-
ni et poe-
nitentes,

cum catechumenis secundi ordinis intererant, post illos cum manuum impositione dimissi. *Poenitentes* cum ecclesia, ex cuius communione delictis publicis exciderant, conciliandi luctum et desiderium receptionis publice testatum faciebant, atque a saeculo tertio in quatuor ordines diuidebantur: quorum *primus* erat *flentium* et *hiemantium*, qui extra ecclesiam poenitentiam efflagitabant; *secundus audiendum*, qui data ipsis per manuum impositionem poenitentia ad lectiones et sermones admittebantur; *tertius genitio flentium* seu *substratorum*, qui ad nonnullas preces communes admissi post catechumenos secundi ordinis et energumenos, ante competentes vero, cum manuum impositione dimittebantur; *quartus consistentium*, quibus sanctibus precari, omnibus sacris interesse, atque cum fidelibus ad altare communicare licebat sine oblatione tamen et eucharistia.

§. XXXX.

martyres
et confes-
sores.

Qui **CHRISTI** caussa vexationes corporis et mortem opperierant, *martyres* vocabantur: ad quos illi etiam pertinebant, qui in carcere obierant, in primis post tormenta et cruciatus, aut in

DE HOMINIBUS SACRIS. 33

in fuga et exilio misere perierant. Reliqui post cruciatus dimissi martyres designati nominabantur: confessores autem ii, qui publica CHRISTI confessione vitam periclitari fuerant aut carcerem tolerauerant. Atque his omnibus singularis honor exhibebatur, ut tam quoad viuerent visitarentur crebro, si liceret, aut litteris confirmarentur, precibus publicis Deo commendati, atque libelli eorundem ad ecclesiam, in primis deprecatorii pro lapsis, magni momenti haberentur; quam post mortem martyrum exuviae sollicite considerentur, atque memoria publice consecraretur. Ambitus tamen martyrii temerarius iure improbabatur.

Postquam nonnulli iam a primis ascetae et saeculis seueriorem vitam egerunt ascemoneachi, tae vocati, a saeculo tertio medio monastica vita inter christianos introducere coepit: cum quidam calamitatibus publicis se subtracturi in solitudinem secesserunt, quorum aliqui in societatem coiuerunt a saeculo quarto, alii solitudo manserunt. Vnde duplex monachorum genus, unum anachoretarum seu eremitarum, qui in desertis vel lauris viuebant, quorsum etiam sylitae, et reclusi.

per

pertinent: alterum coenobitarum seu synoditarum, qui in communi domo vna viuebant, sub decanis, centenariis, patribus; quos abbates, archimandritas, et praefectus vocarunt. Atque hi nul-

lis ordinibus distincti erant olim, sed
a regione seu loco commorationis no-
men sortiebantur; nonnunquam ab
instituto quodam peculiari, vel coeno-
biorum ut *aceemetue*, vel singulorum
VI silentiarii. Reliqua monachorum
antiquorum genera, *sarabaitae*, *gyros*,
eremiti, *eremitae*, *eremiti* et monachi saeculares non diu ad-
modum continuarunt. A saeculo
quarto clerici alicubi vitam commu-
nem iniuerunt, monachos imitati, vn-
iuersitas monachorum de canonici regulares et collegiati ori-
gines suas deriuant. A saeculo sexto
BENEDICTUS pluribus monasteriis ad
peculiarem regulam conditis ordinum
distinctorum occasionem dedit, ex cu-
jus institutis plures ordines prodi-
runt, donec a saeculo decimo tertio
ortis mendicantium ordinibus alii plu-
res addebantur. Moniales saeculo quar-
to ex virginibus et viduis ecclesiasticis
in vitam communem transeuntibus et
monachos imitatis ortae sunt, in mo-
nasteriis duplicitibus morari vetitae.

§. XXXXII.

§. XXXII.

Monachi primi laicis accensebantur; sensim tamen clerici inde eligi, ipsi clericos habere, in synodis suffragari, et tandem clericis adnumerari coeperunt: vnde distinctio clericorum in regulares et saeculares orta est; omnes tamen episcoporum iurisdictioni suberant, neque sacra faciebant extra monasterium, nisi ab episcopis iussi in casu necessitatis. Praeterea primis temporibus vietum sibi parabant laboribus manuariis, temperantiae, iejuniis, et sacris tam publicis quam priuatis vacabant; voto tamen ab initio non adstricti, cuius necessitas sensim introducta est. Legibus etiam caustum erat, ne curiales aut serui, liberi et coniuges sine magistratus, dominorum, parentum et coniugum consensu monachi fierent.

§. XXXIII.

Christiani olim omnes *fratrum sororumque* nomine mutuo vtebantur, laici doctores *patres* appellabant, ab iisdem *filii* vocati, quod inter diuersos etiam clericorum ordines obtinuit: tandem patrum denominatio presbyteris, fratrum et sororum monachis et monialibus propria euasit. Quorum post mortem memoria publice colebatur,

C 2 et

conditio

monacho-

rum.

gut

Opere

ab

de

et

in

et

er commemoratio in canone missae fiebat, *sancti* dicebantur: qui honor martyribus solis primum obtingebat ex sententia episcopi et synodi de ipsis lata, deinde etiam aliis exhibebatur de re sacra bene meritis; cuius rei iudicium in occidentali ecclesia episcopi *romani* sentim sibi vindicarunt introducta solemnis *canonisatione*.

§. XXXXIII.

genera ho-
minum ex-
tra eccl-
esiām.

Qui extra ecclesiam viuebant et profani habebantur, vel Deorum cultores erant, *graeci*, *idoi* *latræ*, *gentes* et *ethnici*, atque a saeculo quarto *pagani* vocati, vel *iudei*, vel a saeculo septimo *Muhamedani*; qui in vniuersum omnes infideles dicebantur: vel *hacere-tici* ob errores noxios ex ecclesia electi per synodos; vel *schismatici* ob dissidia in cultu et disciplina sacra ab ecclesia separati. Atque horum omnium sacris interesse aut inferuire nemini licebat, omnes etiam a sacris christianorum praeter auditionem lectiōnum et sermonum publicorum, imo etiam a familiari conuersatione et matrimonio fidelium arcebantur. Priorēs seu infideles per baptismā, posteriores per manū impositionē recipiebantur, nisi baptismi eorundem administratio defectibus laborauerat.

CA.

CAPUT II.

DE TEMPORIBUS SACRIS.

§. XXXV.

Tempora sacra *tum* anniuersaria *divisio* fuerunt, eaque *vel* festa cultui temporum publico destinata, *tam* vniuersalia *et* sacerorum, antiquiora ex quatuor primis saeculis orta, *ut* pascha, penteoste, natalis CHRI-
STI, atque matyrum natalitia; *et* recen-
toria per singulos menses consideran-
da; *quam* particularia in nonnullis tan-
tum ecclesiis atque ob peculiarem ra-
tionem diuersis temporibus celebrata;
vel semifesta, *ut* vigliae et octauae fe-
storum, ieiunia stata et quinquagesima:
tum hebdomadalia, *ut* dies dominica,
sabbatum, et ieiunia minora: *tum* di-
urna horarum canonicarum. Quo
etiam referri debet aera christianorum
atque annus ecclesiasticus et iubi-
laeus.

§. XXXVI.

Festa aequa ac dies dominica olim *celebratio* agebantur *tum* vacatione a laboribus, *festorum.*
conuentibus sacris cultuque Dei publi-

co a nomine facile negligendo; *tum*
exercitiis pietatis et charitatis mutuae,
atque liberalitatis in pauperes; tum de-
nique significationibus laeritiae singu-
laris, unde euenit, ut nemini ieunare,
aut genibus flexis precari illis tem-
poribus liceret.

In anno Mart. germ. mense
anno Dom. 16. Janu. pars
magis in T. ut pug. deo. q.
analis in Gregor. VIII. 1583
transl. pug. pug. 50. 2. iij.
pug. 80 in Calendar. Polyc.
Vigil. & missa pug. pug. 80
I. P. c. 8. De breviat. Romam
Op. 1. v. 1. Et huius periodus in
hunc et in manu multa aliis
renumeratur, quod certe ab aliis
est aliud, illud. pug. pug. 80
dicta inde. Et huius vita delata
Dom. 1583.

§. XXXXVII.

Pascha latius sumtum tempus qua-
tuordecim dierum complectitur: at-
*que vel *sanguinis* est ad memoriam*
mortis expiatoriae CHRISTI recolen-
*dam dicatum, vel *resurrectionis* resurrec-*
tioni CHRISTI concelebrandae de-
uotum, quod stricte ita vocabatur.

Erat illud ut antiquissimum in ciuitate
CHRISTI, ita etiam sanctissime ob-
eundum tanquam omnium princeps.
Augebatur vero tribus saeculis primis
diuerso tempore, ut nonnulli *Iudeo-*
rum calculum secuti haec solemnia die
decimo quarto primi mensis anni iu-
daici exordirentur, in quemcunque
hebdomadis diem inciderit: alii ea
solemnia ad diem dominicam restrin-
gerent, quae consuetudo a concilio *ni-*
ceno stabilita saeculo quarto vniuersalis
enasit. Qua tamen lege nondum
omnis diuersitas cessauit, quae satis diu
continuauit, ob varios cyclos admis-
dum

DE TEMPORIBUS SACRIS. 39

dum discrepantes, *romanum* in primis
et *alexandrinum*, qui posterior tandem
ubique introductus est a saeculo
nono.

§. XXXVIII.

Solemnia paschae septem proximos *solemnia*
dies continuabantur, vacatione cultu*illius*.
que publico transigendos, atque domini-
nica noua finiebantur, quae *quasimodo-*
genti etiam et *in albis* vocabatur ob ba-
ptizatos in illo festo, saeculo demum
nono ad tres tantum dies restricta.
Imperatores *christiani* indulgentia pa-
schali in captiuis dimittendis, exceptis
ramen grauiorum delictorum reis, illa
celebrabant, quae consuetudo postea
ad alias gentes *christianas* transiit. Or-
dinarium praeterea tempus erat hoc
festum impertiendi baptismata pacem,
atque cum necessitate eucharistiam su-
mendi coniunctum, quae olim *omnibus*
festis communis erat.

§. XXXIX.

Pentecoste sensu *latiori* quinquaginta *penteco-*
dies integros post pascha, sacros olim *ite.*
festosque, significabat: *strictiori* vero
ipsam quinquagesimam diem memo-
riae Spiritus sancti in primos **CHRI-**
STI ciues effusi sacram, quae *dies etiam*

C 4 *spiri-*

40 CAPUT II.

spiritus vocabatur. Nonnullis videntur haec solemnia ab apostolorum tempore ex iudeorum consuetudinibus in ciuitatem *christianam* transisse; quod in oriente factum fuisse admodum probabile est: a saeculo saltem secundo inter *christianos* ubique obtinuit. Solebat, praeter conuentus sacros et eucharistiam ab omnibus sumtam, baptismus eo tempore administrari atque solemnior cultus publicus duos proximos dies continuari.

§. L.

natalis
Christi.

Festum nativitatis Christi saeculo demum quarto celebrari coepit, et quinto denique ubique inualuit: diuerso tamen tempore olim peractum, cum orientales die VIII Idus Ianuarias illud obirent, *epiphaniae* et *theophaniae* nomine insignitum; occidentales vero VIII die Kal. Ian. quorum consuetudinem postea orientales secuti sunt. Quod factum fuisse videtur, tam quod nonnulli **CHRISTUM** eo die natum existimarent opinione de **ZACHARIA IOANNIS** baptistae patre die expiationis sacra faciente inducti, quam ob solem **CHRISTI** symbolum ab eo tempore ad nos redeuntem eiusque natalem inter gentes eo tempore celebrari solitum.

DE TEMPORIBUS SACRIS. 4r

tum. Transfiebatur iisdem solemnibus cum pascha et pentecoste, atque per satis longum tempus nouum annum exordiebatur.

§. LI.

Festa memoriae martyrum sacra, ~~et~~ natales talitiae eorundem vocata, a saeculo se martyrum. cundo inter christianos obtinuerunt; peculiaria tamen primum fuerunt ecclesiarum, ubi vixerunt aut mortem subierunt aut inhumati seruabantur: ut fideles eo die ad eorum sepultra confluarent, sacra facerent, eucharistiam caperent, atque lectis eorundem actis et sermonibus sacris eorum memoriam recolerent, oblationes etiam conferrent, et epulas solemnes, pauperibus maxime, instituerent. Quae solemnis concelebratio memoriae illustriorum martyrum deinde ad alias etiam ecclesias transiit: die peculiari martyrum in uniuersum omnium memoriae consecrato. Serius postea sanctorum de ecclesia bene meritorum atque in pace defunctorum annua commemoratio solemnis introduci coepit, quare numerus festorum mirifice excreuit.

§. LII.

In mensem ianuarium incident festum circumcisio-
nitis et epiphaniae. Pri-
C 5 cumicisio-
mum nis Christi.

mum recens admodum est; nam per decem prima saecula nondum vbiique peragebatur, *christiani* contra grauissime olim interdicebantur solemnibus kalendarum *Ianuarii* effusissima lascivia et luxu a paganis celebratarum. Postquam autem octauae festorum celebrari coeperunt, ob octauam natalis *CHRISTI* inueteratamque consuetudinem solemnium civilium et domesticorum, publicis sacris et memoriae circumcisionis *CHRISTI* destinatum fuisse videtur: in primis ex quo antiqua anni apud *Romanos* auspicia ab hoc die capienda instaurabantur.

§. LIII.

epiphanie. Alterum *Ianuarii* festum *epiphanie* a saeculo quarto primum in ecclesia orientali solemnibus natalitiis *CHRISTI* sacrum erat: postea tanquam peculiare festum consecrabatur memoriae *tum baptismi* *CHRISTI*, vnde dies luminum et *theophania* dicebatur; *tum* apparitionis stellae magis factae, vnde festum trium regum vocabatur; *tum* miraculi aquae in vinum mutatae, vnde nomen *bethphaniae* habuit. Solebat illud eadem celebritate cum diebus dominicis et festis maioribus peragi, ut sacra publica fierent atque in ecclesia

fria

DE TEMPORIBUS SACRIS. 43

sia graeca et africana baptismus solemnis institueretur, et aqua consecraretur, atque per omnes ecclesiás passchae solemniumque mobilium cuiusvis anni tempus indiceretur. Festum conuersionis PAULI in diem XVI Ianuarii ordinatum saeculo demum duodecimo intuluit.

§. LIII.

Quod Februario mense celebratur festum purificationis MARIAE utrisq[ue] februaris Februa. l'imeo sua facilius utrum
gutturn &c. & ha crena-
tus graecis in tridion
m. d. f. ch. d. opus
affinis apud Cyprianum
et illi eiusmodi.
παντὶ graecis dictum, aliis festum sacerdotii MEONIS et præsentationis domini, a saeculo sexto ortum traxit, videturque institutum ut populus a sacris ambarvalibus et februis seu lustrationibus profanis, quae accensis facibus publice fiebant, ad solemnia CHRISTO sacra et memoriae natalium eiusdem publice finienda destinata ita per trahebatur: vnde eriam consecratio candelarum et cereorum deriuatur, quae consuetudo solemnibus his nomen festi candelarum seu Lichtmesse impertivit. Quod in diem XXII Februario incidit festum cathedralae PETRI ad similem consuetudinem profanarum epularum a gentibus eo tempore dari solitarum abolendum ordinabatur. Dies vero XXIII. eiusdem mensis MATTHIAE apostolo consecratus est.

§. LV.

44 C A P U T II.

Mensis
Martii.

§. LV.

Mense *Martio* celebratur festum annuntiationis MARIAE seu domini die VIII Kal. April. nouem menses a natalitiis CHRISTI: quod saeculo sexto aut septimo institutum fuisse videtur; alicubi, in Hispania maxime, in mensem Decembrem ad diem XVI Kal. Januar. translatum, ne *ieiunium* quadragesimale turbaretur, iisdem solemnibus cum diebus dominicis et festis maioribus peragi solitum. Praeterea GREGORII festum saeculo octavo a GREGORIO quarto in memoriam GREGORII magni ad diem IV Idus Martias ordinatum, eoque solemnia scholiarum publica apud Romanos die XII Kal. Apr. celebrata translata fuerunt

§. LVI.

Aprilis et
Maii.

Post mensem *Aprilem*, qui ob quinquagesimam olim sacram aliis festis cavit, praeter recens admodum festum lanceae et clauorum saeculo decimo quarto institutum, incidit in Kalendas Matas festum PHILIPPI et IACOBI, primum commemorationi omnium apostolorum sacrum. Praeterea in diem V Non. Mati festum inuentionis sanctae crucis, quod in orientali ecclesia ortum saeculo decimo quarto de-

mum



DE TEMPORIBUS SACRIS. 45

mum in occidentali ubiuis obtinuit.
Quod eodem mense agi solet *festum ascensionis CHRISTI* inter quinquaginta dies a *pascua* ad *pentecosten* peculiari ratione celebrabatur a saeculo quarto; reliquorum etiam abrogata celebritate solum remansit iisdem cum festis et dominicis solemnibus obeundum.

§. LVII.

Ad mensem *Iunium* refertur, praeter *Iunii*,
ter *festum corporis CHRISTI* saeculo
demum decimo tertio institutum, na-
talis *IOANNIS Baptiste* die IX Kal.
Iun. obeundus a saeculo quinto iam in-
troducedus; cuius ignes sacri a *sacris
VESTAE*, quae eo tempore celebra-
bantur, orti esse videntur: et festum
denique *Petri* et *PAULI* die III et
pridie Kal. *Iul.* peragendum, quod
primum fuit inter festa *apostolorum* pe-
culiaria saeculo quarto iam extra *Roma*
celebratum.

§. LVIII.

Quod postridie Kal. *Iul.* celebratur *Iulii*,
festum *visitationis MARIAE* occiden-
talis tantum ecclesiae est, exeunte de-
mum saeculo decimo quarto institutum
ab *Vrbano VI*, atque in concilio *Bati-*
leenji saeculo decimo quinto confirma-
tum

46 CAPUT II.

tum: festum *diuisionis apostolorum* idibus Iuliis, et MARIAE MAGDALENÆ die XI Kal. *Augusti* obeunda recentia quidem sunt, illo tamen antiquiora. Festum vero IACOBI maioris die VIII Kal. *Augusti* obeundum aliquantum his vetustius esse videtur.

§. LVIII.

Augusti. Kalendis *Augusti* festum PETRI ad vincula a saeculo quinto ad solemnia memoriae AUGUSTI imperatoris apud Romanos sacra rectius consecranda ordinatum fuisse videtur. Festum *transfigurationis CHRISTI* postridie nonarum *Augusti* in orientali ecclesia a saeculo septimo peractum est, et decimo quinto demum vniuersale euasit. Festum *adsumptionis seu dormitionis MARIAE* ad diem XVII Kal. Septembr. satis antiquum est saeculo sexto iam celebratum et nono deinde vniuersale factum. Festum BARTHOLOMAEI ad diem IX Kal. Sept. agitur. Festum *decollationis IOANNIS Baptistarum* ad diem III ante Kal. Sept. recentius est.

§. LX.

Septembris. Ad mensem Septembrem pertinet festum *nativitatis MARIAE* saeculo septimo ad diem VI Id. Sept. ordinatum

DE TEMPORIBUS SACRIS. 47.

tum et saeculo decimo tertio maioribus festis adnumeratum: praeterea festum *exaltationis crucis* postridie iduum Sept. saeculo septimo ab HERACLIO imperatore institutum ob crucem a Persis receptam: porro festum MATTHAEI ad diem XI Kal. Octobr. aequae incertae originis ac reliqui dies *apostoloris* sacri: et festum denique MICHAELIS die III Kal. Octobr. a saeculo sexto vel quinto exeunte peractum, ob adparationem angeli in monte Apulie Gargano factam.

§. LXI.

Mensis *October* solum festum SIMEONIS et IUDAЕ habet ad diem V Kal. *Nouembris*. His ipsis vero Kalendis agitur festum omnium sanctorum saeculo septimo ad diem IV. Idus Maias ordinatum, saeculo vero nono hic translatum. Quod postridie seu die IV non. *Nouembris* incidit festum omnium animarum saeculo undecimo ineunte celebrari coepit, non tamen ubique inualuit. MARTINI festum ad diem III Idus *Nouembris*, a saeculo septimo et nono latius obtinuit, ob sacra vindemiarum a gentibus eo tempore celebrata. Festum *præsentationis MARIAE* ad diem III Kal. *Decembris*, saeculo octauo *Constan-*

stantinopoli celebratum est, et deinde saeculo decimo quinto in ecclesia occidentalی receptum. Festum denique ANDREAE pridie Kal. *Décembr.* agitur.

§. LXII.

decembris. In mensem *Decembrem* incident *et* festum *conceptionis MARIAE* saeculo undecimo in occidentalی ecclesia celebrari coeptum ad diem VI iduum *Decembrium*; *et* festum *THOMAE* ad diem XII Kal. *Januarii*; *et* festum *STEPHANI* protomartyris ad diem VII Kal. *Januarii*; *et* festum *IOANNIS Euangeliæ* ad diem VI Kal. *Januarii*; *et* festum denique *Innocentum* ad diem V ante Kal. *Januarii*.

§. LXIII.

**festa pecu-
liares.** Ad festa peculiaribus ecclesiis propria pertinent, praeter natales et commemorationes sanctorum, quorum solemnia antiquitus particularia duntaxat fuerunt, *tum* encaeniae seu dies memoriae dedicationis templorum sacri, a saeculo quarto peragi soliti; *tum* natales episcoporum seu commemorationes solemnnes ordinationis eorum a saeculo quinto alicubi introductae; *tum* denique festa in memoriam insignis

DE TEMPORIBUS SACRIS. 49

signis liberationis aut beneficii diuini
in aliquam ecclesiam collati sacra.

§. LXIII.

Tempora semifesta vel ad festa maiora tempora
pertinent vel sensim celebrantur. semifesta.
Prioris generis sunt vigiliae et octauae. Vigiliae tam ex conuentuum nocturnorum et antelucanorum a Christianis necessitate cogente habitorum consuetudine, quam ex legibus israeliticis exordiendi sacra solemnia a vespera dies festos praegressa, ortae sunt, celebrataeque ante dies dominicos, festa maiora et martyrum natales, conuentibus, epulis et perulgiliis: quae tamen a saeculo quarto abrogata et cum ieiuniis commutata fuerunt. Octavae vero sensim ex consuetudine Iudeorum peragendi sacra solemnia dies septem continuos, claudendique solemnius die octaua enatae videntur, et primum cum solis festis dominicis coniunctae fuerunt, deinde ad alia etiam translatae.

§. LXV.

Inter ieiunia stata anniuersaria emitur quadragesimale, quod primis temporibus quadraginta horarum fuisse videtur; sensim vero ad plures dies erit

D hebreo.

50 CAPUT III. DE THYRIS.

i hebdomades auctum, et tandem a dominica sexta ante pascha *quadragesima* dicta inchoatum fuit, aut a dominica septima, *quinquagesima* vocata, ut dies triginta sex ieiunarent, quod *decimationem animae* nominarunt: donec in ecclesia occidentali initium illius ad feriam quartam septimae ante pascha hebdomadis, seu *diem cinerum* figeretur; ut quadraginta dies completerent, ob ieiunia **CHRISTI, MOSIS ET ELIAE** totidem dierum. Transigebantur hi dies abstinentiis et ieiuniis pro singulorum libertate primum diuersis, deinde vero licet satis laxe restrictioribus, fuga laetiarum et conuentibus sacris, ut catechumeni poenitentes et omnes fideles ad sacra paschae melius praeparentur.

§. LXVI.

hebdomas magna. *Hebdomas magna*, quae pascha *cavωσιμον* etiam vocabatur, olim solemnius transigebatur maiore seueritate ieiunii, exercitiis pietatis et charitatis atque iustitio. In primis feria *quinta* memoria sacrae coenac institutae celebrabatur communione et examine publico competentium; feria *sexta* seu *parasceue* absolutione poenitentum; et feria *septima* seu *sabbatum magnum* ieiunio seuerissimo, quod penitus in edi-

DE TEMPORIBUS SACRIS. 51

edicum per uigilio sequente obire solebant.

§. LXVII.

Praeter ieunium quadragesimale reliqua sensim inualuerunt tria ieunia anniversaria. *Vnum pentecostes, alterum autumnale, et tertium aduentus seu natalis domini: quae coniuncta effecerunt ieunia quatuor temporum.* Quorsum accessit et ieunium rogationum in ecclesia occidentali, non tamen ubique, tres dies festum ascensionis proxime praegressos obseruatum; et ieunia singulorum mensium excepto Iulio et Augusto; et ieunia praecepuorum festorum ex vigiliis orta; et ieunia quatuor ordinationum, quae plerumque in ieunia quatuor temporum incidebant.

§. LXVIII.

Vox quinquagesima vel diem dominicam septimam ante pascha significat; quam immediate excipit ieunii quadragesimalis initium: vel tempus quinquaginta dierum post pascha; qui olim omnes festi erant et ita transigebantur, ut conuentus sacri haberentur, in quibus acta apostolorum maxime paelegabantur, ieunare autem et prostratis precari non liceret, atque a

D 2 spe-

152 CAPUT II.

spectaculis, non autem a laboribus, va-
caretur, quod tamen sensim obsoleuit,
et a saeculo quarto iam cessare coepit.

§. LXVIII.

dies domi- Inter tempora festa singularum heb-
nica. domadum eminet *dies solis*, quem *do-*
minicum et *diem panis* dixerunt, ab ipsis
auspiciis ciuitatis *christianae* cultui di-
uino consecratum, ob memoriam re-
surrectionis *CHRISTI* et effusionis spi-
ritus sancti. Celebrabatur ille con-
uentibus et sacris publicis, operibus
charitatis, vacatione a laboribus et sub
magistratibus *christianis* iustitio, spe-
ctaculorum cessatione atque laetitiae
significationibus, ut illo nunquam ge-
nibus flexis oraretur aut ieunaretur, ne
in ipsa quidem quadragesima.

§. LXX.

dominica- *Latini* dominicas quatuor proxime
rum deno- praegressas natalem *CHRISTI* vocant
minatio dominicas *aduentus*, quas olim plures
apud lati- habuerunt inuersoque ordine numera-
nos. das: dominicas proximas, post nati-
uitatem et circumcisionem *CHRISTI*;
quae dominicam nonam ante pascha
praecedunt, primam, secundam et
reliquas post *epiphaniae*: dominicam
nonam ante pascha *septuagesimam*; octa-
uam

DE TEMPORIBUS SACRIS. 53

uam sexagesimam, septuam quinquagesimam et Esto Mibi a lectione introitus ad missas, sextam primam quadragesimae seu Inuocavit, quintam secundam quadragesimae seu Reminiscere, quartam tertiam quadragesimae seu Oculi, tertiam quartam quadragesimae seu Laetare et dominicam panis, secundam quintam quadragesimae seu Iudica, primam sextam quadragesimae seu Palmarum, florum, ramorum, indulgentiae, bosanna et capitulauium: dominicam primam post pascha dixerunt Quasimodogeniti seu in albis, secundam Misericordias Domini, tertiam Iubilate, quartam Cantate, quintam Rogate, seu vocem iucunditatis, sextam Exaudi seu dominicam post adscensionem: dominicam proximam a pentecoste festum trinitatis, a quo reliquae ad finem anni ecclesiastici nominatae numerantur, vel ab ipsa pentecoste vnico semper numero adiecto.

§. LXXI.

*Græci hebdomadas non a dominica apud grae-
praegressa sed subsequente nominant: cos.
dominicas autem vocant, primam ad-
uentus decimam LUCAE, cuius lectio
dominica proxima a dominica post ex-
altationem crucis seu idus septembres in-
choatur; secundam et tertiam aduen-*

D 3 tus

tus undecimam et duodecimam LUCAE;
quartam, dominicam ante nativitatem
domini; dominicam post circumci-
sionem, ante lumina; primam Epiph-
aniae, post lumina; secundam Epiphaniae
decimam quintam vel decimam sex-
tam Lucae et sic porro ad dominicam
decimam ante pascha, quae prosthone-
simos vel publicani et pharisei vocatur;
nona vero dominica ασώτια seu prodigi:
octaua απόντως; septima τυροφάγος;
sexta prima ieunii seu orthodoxiae ab
instaurato cultu imaginum saeculo no-
no; quinta secunda ieunii, quarta ter-
tia ieunii, tertia quarta ieunii, secun-
da quinta ieunii, prima palmarum
seu LAZARI. Dominica vero prima
post pascha ipsis dicitur αντιπάχα, do-
minica noua, διακανωπος et Thomae,
secunda tertia paschae et sic porro ad
pentecosten: dominica autem prima post
pentecosten dominica MATTHAEI et
dies omnium sanctorum, prima post
trinitatis secunda MATTHAEI et sic
porro ad dominicam proxime pra-
gressam idus septembres, quae ante
exaltationem dicitur, et reliquae, quae il-
lam proxime excipiunt, dominicae LU-
CAE adpellantur.

DE TEMPORIBUS SACRIS. 35

§. LXXII.

Septimus cuiusuis hebdomadis dies sabbatum.
Iudeis festus et sabbatum dictus, primis temporibus a *christianis*, in oriente in primis celebrabatur conuentibus et sacris publicis atque laborum vacatio-ne; licet non pari ritu cum die domini-na: quod tamen a saeculo quarto ali-cubi cessauit, introducta iam saeculo ter-tio in occidente consuetudine ieunandi hoc die; a qua orientales alieni fue-runt, qui praeter sabbatum magnum nunquam hunc diem ieunium trans-egerunt, ne in ipsa quidem quadrage-sima.

§. LXXIII.

Semieiunia feriae quartae et sextae a *Semiciu-*
saeculo secundo obseruata sunt, solo *nia*
pentecostes tempore excepto. Libere
tamen et a clericis maxime ascetisque,
in quibus ad horam nonam ieuni ma-nebant atque sacris publicis et preci-bus vacabant; postquam vero in occi-dentali ecclesia sabbato ieunari coe-ptum est, feriae quartae ieunium sen-sim obsoleuit.

§. LXXIII.

Tempora sacra quotidiana a *Iudeis* horae ca-ad *Christianos* transierunt, qui a primis nonicæ.

D 4

sae-

saeculis bis quotidie atque subinde ter
ad preces communes conuerunt: vnde
solemniores congregations antelucanae
et lucernales ortum traxerunt;
quibus priuatim alias tres precum ho-
ras adiecerunt. Postquam vero vita
monastica magis inualuit, illae horae
canonicae euaserunt atque ad septena-
rium numerum excreuerunt, introdu-
ctae etiam in ecclesias; quorsum per-
tinent *matutina* antelucana, quae *lau-
dum* etiam nomine venit; *prima* seu
maturina posterior; *tertia*; *sexta*; *nona*;
vespertina prior; et posterior seu *com-
pletorium*.

§. LXXV.

annorum constitu- Annum veteres, saeculis potissimum
tio. mediis, diuersimode ordiebantur, *vel*
a Kalendis *Ianuariis* ex *Romanorum* con-
suetudine; *vel* a Kalendis *Martii* ex
antiquiorum *Romanorum* more; *vel* a
Kalendis *Septembribus*, quod *Constanti-
nopolis* siebat; *vel* ab incarnatione *CHRIS-
TI* seu die vigesima quinta *Martii*; *vel*
a paschate seu passione *CHRISTI*; *vel*
a nativitate eiusdem seu die vigesima
quinta *Decembris*; *vel* denique a festo
MARTINI, vnde consuetudo inualuit
auspicandi *annum ecclesiasticum* prima
dominica aduentus. *Aera annorum*
pri-

DE TEMPORIBUS SACRIS. 57

primum cum ciuili computandi ratio-
ne conueniebat, vt diu admodum *aera*
DIOCLETIANI obtrineret, quam *Chris-
tiani martyrum* vocarunt; donec sensim
in occidente *aera nativitatis CHRISTI*
ad computum *DIONYSII* exigui intro-
duceretur. *Iubilaeus annus centesimus*
quisque saeculo decimo quarto demum
celebrari coepit, sensim ad *vigesimum*
quintum quemuis redactus in ecclesia
occidentali.

CAPUT III. DE LOCIS SAGRIS.

§. LXXVI.

Ad loca sacra pertinent et templa partitio.
eorumque partes; et adiectae ae-
des in primis baptisteria, vna cum
singularum partium condecorationi-
bus; et coemeteria veterum; et mona-
steria denique ac laurae.

§. LXXVII.

Habuerunt *Christiani* a primis tem- templis
poribus loca stata conuentuum sacro-
rum pro commoditate occasionum di-

D 5 uer-

58 CAPUT III.

uersa: cum vel in aedibus priuatis, vel
dormitoriis atque sepulcris, vel cry-
ptis syluisque ad sacra facienda coiue-
runt. A saeculo tamen tertio pecu-
liares his conuentibus aedes exstruere
cooperunt, quas dominicas, domos
DEI, ecclesiasticas, oratoria, metony-
mice etiam concilia, conciliabula,
conuenticula et ecclesias, atque sensim
basilikas atque a saeculo quarto temples
yocarunt. ^{4) Et huiusmodi sunt etiam etiam}

§. LXXVIII.

dispositio Aedes sacrae primorum temporum
illorum, simpliciores fuerunt sensim magnific-
centiores redditae, a saeculo in primis
quarto, postquam imperatores *chri-*
stiani easdem exstruere atque templa in
ecclesias mutare coeperunt. Erant au-
tem variae formae *vel* rotundae, *vel*
ouales, *vel* rectangulares, *vel* poly-
gonae, *vel* ad figuram crucis efforma-
tae: neque situs semper eadem ratio
habeatur, ut versus orientem specta-
rent, quod tamen alicubi obseruatum
est a saeculo quarto.

§. LXXVIII.

chorus. Solebant aedes sacrae *tam* ob disciplinae sacrorumque in iis peragendorum rationes; *quam* ad imitationem tem-

templi *bierofolymitani* in tres partes diuidi, alias tamen minores complexas praeter adiecta aedificia seu *exedras*. Religiosissima pars *bema*, *sacrarium*, *chorus* et *adyta* vocabatur: elatior erat atque per cancellos, alicubi etiam portas et velo a reliquo templo separata. In cuius apside sedes episcopi et presbyterorum, caetero autem spatio mensa communionis seu altare, atque alia nonnunquam mensa oblationum, nec non diaconicorum seu scuophylacium minus comprehendebatur.

§. LXXX.

Mensae sacrae seu mysticae satis ante altare, tiquitus, non crebro tamen aut proprie, *altaria* seu *arae* vocatae, ligneae olim erant et vniqa tantum in singulis templis: sensim tamen *lapideae factae* sunt, et in occidentali ecclesia a saeculo sexto multiplicatae. Tegi solebant linteis atque, postquam splendidius efformari coeperunt, columnis cum turri superimposita seu ciborio, et peristilio exornabantur: sero tamen a saeculo sexto crucis effigies et candelarum usus accessit.

§. LXXXI.

Secunda pars aedium sacrarum *nauis*, seu templum vocata, et quadrata

ple-

plerumque, comprehendebat *tum* am-
bonem seu suggestum et pulpitum, *tum*
ad sermones solemnes habendos; quos
episcopi tamen plerumque ex bimacate
perorabant, *quam* ad lectiones sacras
peragendas; *tum* etiam stationes fidel-
ium et consistentium atque substratorum,
locis virorum et mulierum, virginum
quoque et viduarum ecclesiasticarum, se-
paratis, vna cum solea seu loco magistra-
tibus et honoratioribus destinato. At-
que hanc partem porticus ambire so-
lebant et cellae nonnunquam.

§. LXXXII.

narthex.

Tertia pars *narthex* seu *serula* et *pro-
naos* vocata, choro opposita, portas
maiores, vestibulum et porticus com-
pletebatur, atque locum tam audienc-
tium quam infidelium. Area aedium
sacrarum muro et porticibus alicubi cir-
cumdata esse solebat, atque praeter
exedras fontem continebat seu phia-
lam ad manus templum ingressurorum
lauandas: quae sensim ad sepulturas
adhiberi coepit, quod postea ipsis ec-
clesiis etiam accidit.

§. LXXXIII.

exedrae.

Exedrae ecclesiarum seu aedificia se-
parata ad illas pertinentia fuerunt, *tum*
bapti-

baptisteria satis ampla ad catechumenos instituendos ipsum fontem, seu piscinam, complexa, primum maioribus ecclesiis dioecesaniis propria, deinde aliis etiam adiecta: *tum* diaconica, quae secretaria, vestiaria, receptoria, salutatoria, gazophylacia, metatoria et pastophoria dicta sunt: *tum* denique in quibusdam ecclesiis decanica, scholae, bibliothecae et domus episcoporum.

§. LXXXIII.

Ornamenta aedium sacrarum, postquam a saeculo quarto splendidiores exstrui coeperant, constabant *et* decorationibus inscriptionum, operis musiui et lacunati seu inaurati; *et* donariis seu anathematis voluntariis; *et* picturis tandem atque imaginibus historiarum aequa ac hominum viuorum mortuorumque ab exeunte saeculo quarto alicubi et sensim in ecclesiis introductis, primum tamen sine cultu iisdem exhibito, qui postea temporis progressu inualuit saeculo octavo maxime stabilitus; a quo tempore demum DEI etiam et trinitatis imagines efformari cooperunt. *Organorum* usus in ecclesiis demum a saeculo decimo tertio obtinuit: campanarum vero ex saeculo sepolmo deriuari solet.

§. LXXXV.

§. LXXXV.

dedicatio-
nes.

Solemniter dedicabantur ecclesiae ab episcopo dioecesos sermonibus, precibus et sacris publicis: quod a saeculo quarto ortum esse constat, licet ante aetate sacra in eis peragerentur extraordinaria. Semper autem deo consecrabantur, licet nomen sortirentur vel a martyre, vel a fundatore, vel occasione alia memorabili. A saeculo sexto altaria peculiariter ritu dedicari coeperunt.

§. LXXXVI.

veneratio-

Ad venerationem ecclesias exhibitam, pertinet ut tum ab usibus profanis ipsorumque aequa ac vasorum earundem religiose caueretur; tum eas ingressuri manus lauarent, alicubi etiam calceos exuerent, atque portas columnasque amplexi exoscularentur, imperatores vero diadema deponenter et satellitum dimitterent; tum sedatissimis et ad reverentiam compositis moribus in iisdem uerentur; tum easdem saepius ad priuatas quoque preces et meditationes frequentarent; tum denique tutissimum rerum pretiosarum hominumque in publicis calamitatibus et ab iniquis adprehensionibus perfugium atque asylum habenter.

rentur, quod tamen facinorosis non concedebatur, et postquam in turpem abusum degenerauerat multis limitibus circumscrivebatur.

§. LXXXVII.

Distingui coeperunt ecclesiae sequi distinctio
oribus temporibus, in *episcopales*, quae templo-
matres etiam, cathedrales et catholi-rum.
cae vocabantur; praeterea in *dioecesa-*
nas, seu *parochiales*, quae baptisma-
les etiam dicebantur; tum in *oratoria*
capellas et *scälla*? ad quas denique
accederunt ecclesiae collegiatae et mo-
nastrorum, quibus tamen in *urbibus*
sero demum *permittebantur*.

S. LXXXVIII.

Sepulturae locus ob leges ciuiles pri-
mis saeculis extra vrbes erat, coemeterii ria.
Ieu dormitorii nomine insignitus: vbi
vel in humo vel fornicibus et cryptis
corpora condebatur; atque non so-
lum vexationum publicarum tempore,
sed postea etiam conuentus sacri in me-
moriis martyrum habebantur. A sae-
culo quarto imperatores et episcopi in
areis ecclesiarum humari solebant,
quod a saeculo sexto aliis etiam conce-
debatur; a quo tempore eminentio-
rum hominum corpora in ipsis eccl.

CAPUT III.

64

CAPUT III.

fuis sepeliri coeperunt. Ab eodem
saeculo consecrabantur coemeteria,
quae tamen iam antea per ipsas leges
ciuiles sacra erant et inuiolabilia.

LXXXVIII.

monaste-
ria et lau-
rae.

Monasteria primum vocabantur singularae monachorum habitationes, deinde *coenobiis* peculiare mansit illud nomen; quae *begumenta* et *mandrae* etiam vocabantur: atque primum extra urbem et in locis desertis atque a celebritate remotis erant, solis canonorum monasteriis in urbes admissis, in quas tamen sensim reliqua etiam recipiebantur. Eremitarum habitations sub communi praefecto *laurarum* nomine insigniebantur,

CAPUT IIII.

ACTIONIBUS SACRIS.

§. LXXXX.

partitio.

partitio. Ad actiones sacras referuntur I) audiciones tam lectionum sacrarum quam sermonum solemnium; II) preces

Soror = legatus, cuius ordo (ord. romana) Ufficium, Religio com.
(religiones = ritus sacri) Catholica = Laius legatus (Auct.)
Leitus, Kespi ord. in Auctor. In predictis. Opere non operari
S. M. = legatus legatus legatus legatus legatus

DE ACTIONIBUS SACRIS. 65

communes, vna cum psalmodia et processione recentius ortis; (III) eucharistia cum agapis; et (III) osculum pacis; quibus quatuor partibus conuentus sacrí olim absolvebantur: V) disciplina arcani; VI) baptismus; VII) sepulta-
ra; VIII) consecrationes recens nuptiorum, clericorum, aliorum etiam hominum, aegrotorum in primis, atque rerum variarum; VIII) signum crucis; et X) denique thuris lucernarumque usus.

LXXXXI.

Lectio publica ex *Iudeorum synago-* *lectiones.*
ga in sacra *Christianorum* transiit, atque
a diaconis primum, raro a presbyte-
ris aut laicis etiam, a saeculo tertio
vero a lectoribus peragebatur. Lege-
bantur autem potissimum libri diuini-
tus inspirati, canonici et authentici di-
cti, utriusque testamenti, iisque integri
ex ordine, quo se excipiebant; nisi fe-
storum solemnia peculiares pericopas
requirerent: praeterea alicubi etiam
libri apocryphi et ecclesiastici atque
epistolae et tractatus celebriores; a sae-
culo ^{noto} quarto etiam acta martyrum et
serius aliorum sanctorum. Auspica-
bantur lectionem, accensis alicubi lu-
minibus, formula, *pax vobis*, aliisque
allocationibus excitatoriis ad attentio-

today & Vassalle for E Gregor nem,

nem, quibus a populo respondebatur, qui lectionem stans auscultabat. Geminæ esse solebant lectiones, immo plures, interpositis hymnis; in ecclesia occidentali sensim abolitæ, ex quo lingua latina ab omnibus intelligi defuit.

§. LXXXIII.

sermones,

*Argentorati 1575
Utrecht 1576
Mediol. 1621
Genua 1624
Utrecht 1672*

Lectiones excipiebant orationes publicae, tractatus etiam, homiliae, disputationes et allocutiones vocatae, inter Iudeos iam visitatae, quæ ab episcopis, iisque permittentibus ab aliis etiam clericis, rarius vero laicis, habebantur, iisque plerumque sedentibus populo stante. Erant autem breviores; unde duæ nonnunquam plures in uno conuentu locum habebant: quibus argumentum ex lectione praegressa desumptum ordinarie explicabatur, aut adhortatio pro occasione peculiari fiebat. Solebant illæ precipibus inchoari et iisdem aut benedictione finiri, atque a populo alicubi recitatione oraculorum diuinorum et plausibus interpellari scribendoque excipi. Postquam solemniores euerterunt, a praemeditatis habebantur, rarius ex tempore aut ab aliis elaboratae recitabantur et prælegebantur, cuiusmodi ser-

DE ACTIONIBUS SACRIS. 67

sermonum post illa, scilicet verba textus legendorum, collectiones fieri coepi-
runt saeculo octauo. In ciuitatibus
frequentiores erant bis diebus domini,
cis temporibusque festis quotidie habi-
tae: in iure rariores, quam raritatem
deinde clericorum ignorantia sensim
frequentiores reddidit.

§. LXXXIII.

Preces publicae triplicis potissimum precum
generis erant: *unum* in sacris solemnni- primum
bus siebat dimissis audientibus; *secun-* genus.
dum in missa fidelium ad eucharistiam;
tertium denique in stationibus et quo-
tidianis conuentibus minus solemnio-
ribus. Primae preces immediate ex-
cipiebant sermonem, *indicta* a diacono
secessione audientium ac infidelium:
atque siebant pro catechumenis,
energumenis et poenitentibus, non
nunquam etiam peculiares pro com-
petentibus. Videntur hae preces non
ad altare sed in naue ecclesiae factae
esse; atque in orientali ecclesia magis in-
valuisse quam in occidentalib[us].

§. LXXXIII.

Quae in missa fidelium ad altare fie- alterum,
bant preces hoc redibant, ut *primum*
oratio priuata indiceretur, et a singu- E 2

lis silentibus haberetur; *deinde* supplicationes a diacono indictae funderentur; *postea* inuocatio seu collecta ab episcopo vel presbytero recitaretur; oblatione *denique* facta episcopus vel presbyter longiores et solemniores aliquot preces haberet, in quibus deprecatoria commemoratio et viuentium et mortuorum fiebat; et *tandem* cum oratione dominica symbolum alicubi recitaretur.

S. LXXXXV.

Scriptum.

Quotidiani Christianorum contine-
rus precibus communiter fundendis
potissimum insumebantur: ieuniorum
quoque tam anniversariorum quam
hebdomadalium tempora seu stationes
precibus in primis transigebantur com-
munibus seu supplicationibus; quae
litaniae strictius sumtae vocari sole-
bant.

S. LXXXXVI.

Fundebantur preces communes *christianorum* genibus flexis; ^{et} temporibus festis autem astantibus, nonnunquam capite inclinato ad benedictionem accipiendam: subinde vero extraordina- riae supplicationes ab humi prostratis fiebant. Praeterea orare solebant ca-

DE ACTIONIBUS SACRIS. 69

pite nudo manibus ad caelum sublatis, nonnunquam in crucis forma compo-
sitis, atque semper vultu in orientem
verso.

S. LXXXVII.

Pleraeque preces communes primis precum temporibus libere praeiri solebant ab formulae episcopo: concepta tamen verba orationis dominicae solis fidelibus permisae frequentissime recitabantur antiquitus; quibus deinde plures formulae solemnes sensim adiectae fuerunt, donec eadem precum formulae et iurisurgiae seu officia in pluribus ecclesiis inualuerunt.

S. LXXXVIII.

Antiquioribus christianis nefas esse obiectum videbatur preces ad alium praeter precum deum dirigere; quod sero admodum et sensim ex commemoratione sanctorum et angelorum in precibus facta, atque rhetoricationibus quorundam ortum traxit. Inuocabantur autem singulariae diuinae personae: licet preces solemniiores plerumque ad patrem dirigerentur; quod, ut in formulis ad altare recitatim semper fieret, legibus tandem cauebatur.

E 3

S.

70 C A P U T O I I I I ;

§. LXXXVIII.

